



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

4. An peccatum originale ad omnes Adæ filios deriuetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

modo id statuere, verisimilius videri etiam transgressionem interiorem futuram fuisse sufficientem, quia illa lex simpliciter erat imposita toti naturæ, & illa interior esset perfecta transgressio eius: esset ergo auersio, & inobedientia totius naturæ, & de facto nunc non transferretur ad nos propter exteriorem actum, qui malitiam non addit, sed propter id, quod veram habet rationem auersionis, & culpæ.

VIII. Secundo petes, an peccatum Eue fuerit etiam causa nostri peccati originalis, atque adeo illa peccante, & non Adamo, homines nascerentur in originali, quod tractat D. Thomas 1. 2. *quest. 81. art. 5.* & negatiue responderet, utitur tamen illa ratione, quod mater sit principium materiale in generatione, non efficiens, sed quidquid de ratione ipsa sit, sententia vera est, ex illo Pauli, *Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit.* Ratio vero est, quia solus homo Adam fuit constitutus caput generis humani, & ideo sola eius voluntas reputabatur voluntas totius naturæ.

IX. Tercio petes similiter, an peccatum alterius parentis præter Adamum transferretur ad filium, id est, si Adamo non peccante Cain peccaret, posteritas Cain nasceretur sine gratia, Scelus enim *dist. 31.* affirmat in eo casu omnes illos homines nascituros in peccato, quod etiam sentit Driedo libro secundo de redemptione, & captiuitate generis humani tract. 2. capite 2. in fine, & fuit sententia Diui Thomæ *quest. 5. de malo art. 4. ad 8.* sed nullum video huius sententiz fundamentum. Quare opposita sententia vera videtur, quam tenet D. Thomas illa *quest. 81. art. 2.* Ratio est, quia solus Adam fuit caput suæ posteritatis, & cum illo fuit quasi fœdus illud contractum, quod patet primo, quia de illo tantum est nobis reuelatum, & non de aliis. Secundo, quia ita fuit conueniens, alias omnium filiorum Adæ salus ex voluntate singulorum, & omnium parentum penderet, mortem vero quilibet eorum per se posset causare. Tercio, quia Adamus, & sibi, & toti posteritati iustitiam perdidit: ergo si perseverasset, eam posteritati conquiret: alias non esset æqualis pæctio. Quarto, quia nunc parens iustus non transfert suam iustitiam ad filium: ergo similiter, si duraret status innocentiz, pater iniustus non transferret suam iniustitiam ad filium. Quinto, quia alias nunc etiam dici posset peccata Cain, vel aliorum filiorum Adæ transferri ad filios.

X. Quarto petes, an originale peccatum in singulis hominibus sit vnum, vel plura, in qua re Augustinus in *Enchiridio capite 44. epistola 36.* dubius esse videtur. Dicendum est tamen in vnoquoque esse vnum tantum originale peccatum, quod colligitur ex Paulo ad Romanos quinto, & Trifissione 5. Estque communis Theologorum, & ratio est, quia vnum solum peccatum Adæ est causa, & origo istius peccati, vnde vnica tantum voluntate censetur in ipso peccasse. Neque obstat non nunquam in Scriptura hoc peccatum nominari in plurali, vt Psalmo 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum,* & sæpe alias dicitur Christus venisse in remissionem peccatorum, quomodo loquitur Damasus Papa *epistola ad Episcopos Orientis refertur lib. 3. Tripartita capite 15.* Nam sæpe plurale pro singulari ponitur, vel certe id fit ad significandum peccatum hoc, esse multorum originem, & formaliter vnum, multa autem virtute, vt Diuus Thomas notauit *qu. 82.* Consule, si placet, pro dictis hæc tenus *lib. 4. de opere sex dierum.*

**

*

SECTIO IV.

An peccatum originale ad omnes Adæ filios deriuetur.

Explicatis causis originalis peccati, oportet nonnulla de generali eius propagatione dicere, in quo duo occurrunt videnda. Primum, an soli filij Adæ naturaliter ex illo geniti hoc peccatum contrahant. Secundum, an omnes.

Prima propositio. Soli homines & omnes naturaliter ex Adamo generati contrahunt hoc peccatum. Est ex communi sensu, & traditione Ecclesiæ, & colligitur ex ad Romanos 5. vbi bene remittit. Explicat Anselmus, & Origenes libro quinto ad Romanos, & Augustinus decimo, *Genesis ad literam cap. 20.* D. Thomas 1. 2. *quest. 81. articulo octauo.* Ratio à priori est lex diuina, & voluntas, qua statutum est, vt Adam tantum eorum hominum esset caput, qui ab illo naturaliter generantur, de potentia enim Dei absoluta, fortasse non repugnaret aliter fieri pæctum: congruentia quoque non deest, quia non erat expediens Adamum communicare illi culpam, cui non tribuebat naturam. Quæ ratio, inter alias, Christus ex vi suæ conceptionis erat immunis à peccato, idemque dicendum de quouis homine, qui à Deo crearetur, vel produceretur ex alia materia, vt notauit Diuus Thomas illa *quest. 81. articulo quarto.* vnde sequitur primo, Eum non habuisse gratiam, & iustitiam originalem dependentem ab Adamo, quia non processit ab illo per naturalem generationem.

Secundo sequitur, si ipsa Eua non peccasset, non amissuram originalem iustitiam. Vnde cum Paulus inquit, omnes in Adam peccasse, intelligitur de filiis, non de vxore: quare Adam caput quidem Eue fuit politicum in ordine, scilicet ad res matrimonij, non vero fuit caput in ordine ad iustitiam, vel culpam, nec id expediens foret, tum quia ex vtroque vnum integrum principium speciei humanæ constituebatur, tum propter aliam rationem, quam statim subiiciam.

Tercio sequitur è contra, si Eua tantum peccasset, amissuram non solum gratiam, sed etiam originalem iustitiam, atque ita de facto amittit per proprium peccatum: in quo est deceptus Catherinus super *Genesis, & ad Romanos 5. vt in tract. de opere sex dierum libro 3. cap. 13.* late dicimus. Quid autem tunc fieret: si casus ille contingeret, diuinæ providentiæ esset relinquendum, vt in eodè tractatu videre licet.

Quarto sequitur, si Adam ante primum peccatum generaret filium, in iustitia quidem generaturum, an verò post ita genitum peccasset, filius genitus in iustitia eiusque posteritas amissuri fuissent iustitiam, nihil certum nobis esse potest, quia totum pendet ex modo pæcti, & voluntate Dei: videretur tamen verisimile primo in eo casu omnes genitos ab illo filio Adæ nascituros in peccato originali, quamuis proximus parens esset iustus. Ratio insinuat est, quia iustitia proximi parentis semper est personæ particularis, illeque nepos vere esset genitus ex Adamo peccatore, atque eius voluntas censeretur ex pacto Dei constituta in voluntate Adæ. Secundo de tali filio iam antea in iustitia genito, videretur probabile non amissuram gratiam, nec iustitiam eorum Deo propter subsequens Adæ peccatum. Primo, quia Deus non aufert gratiam suam ab eo, qui iam illam continet.

tinēt, nisi ipse peccet per propriam voluntatem, quia Deus non deserit nisi prius deseratur. Colligiturque ex Augustino epistola 33. ad Bonifacium, ubi generaliter ait, hominem cum in se ipso est aliter effectus ab eo, à quo est genitus, non posse sine consensu proprio fieri peccato obnoxium, quia voluntas filii non videtur conveniēter poni in voluntate patris, nisi pro tempore quo filius non habet propriam. quæ ratio maxime procedit de iam adultis, sed prior ratio generalis est. Confirmatur, quia hoc peccatum non transfunditur, nisi per generationem naturalem: sed tunc facta fuisset sine peccato generantis, ut ponitur: ergo, &c. Tertio de donis aliis originalis iustitiæ pertinentibus ad complementum status innocentie, ac si ne quibus poterat consistere amicitia Dei. Vtrumque probabiliter defendi potest, scilicet, vel quod illa auferrentur, siquidem propter peccatum capitis totus innocentie status destrueretur, vel quod cōservaretur à Deo, quia dona eius sunt sine pœnitentia Rom. 11, nullumq; sit inconueniens talem hominem conservari in singulari perfectione, quamvis ceteri lapsi essent.

3. Membrum.

V. Quid de 2. parte propositionis quidam sensum.

sum Pauli constat ex Tridentino, & ex verbis aliis eiusdem capituli, dicit enim Paulus, Omnes in Adam peccasse, & per unius delictum in omnes homines in condemnationem. Vnde recte Anselmus, & Origenes advertunt ibi omnes, & multos, idem significare. Sensus itaque est: Multi peccaverunt, id est, non vnus tantum, sed omnes, qui ab illo geniti sunt: & eodem modo dicit multos fuisse iustificatos per Christum, scilicet omnes, qui in ipso sunt regenerati, nisi forte, ut Anselmus etiam norat, velimus nomine mortis, quæ multis ibi tribuitur, intelligere non primam mortem peccati, sed secundam, scilicet æternam mortem, quam non omnes, sed multi propter originale peccatum contrahunt, ad quem modum posset exponi Theodoretus, licet reuera obscure loquatur.

Tertia propositio. In citatis Scripture locis non docetur nemini fuisse concessum privilegium non contrahendi re ipsa originale peccatum, cui natura sua erat obnoxius. Hoc intendit præcipue Caietanus, quod negare recte non possunt, qui eum impugnant: nam fere est certum ex Tridentino sessiones, ubi post generalem propositionem, addit, non esse mentem eam Concilij ut nemo excipiat. Idem confirmari potest ex aliis regulis generalibus Scripturæ, quæ fere nunquam excludunt singularia privilegia, ut illud nemo mundus a sordibus, neque infans, & cætera. non est iustus, qui non peccet, & illud, in dolore paries filios, & cætera. Ex his sequitur, non obstante pacto & lege, quam Deus cum Adamo & eius posteritate statuit, potuisse Deum aliquos filios Adæ innocentes servare præveniēdo, ne contraherent maculam. Ita D. Thomas in 3. dist. 7. quest. 1. art. 1. & quibusdam videtur iam certum ex definitione Tridentini quia supponit hoc ut possibile manifeste. Sed licet non sit de fide, atamen rationi videtur consonum, quia Deus potest gratiam suam communicare cui, & quando, & quomodo voluerit, atque adeo in primo instanti sui esse: necin hoc est vlla repugnantia, ut statim patebit.

VII. 3. Propositio.

Quarta propositio. Omnes homines, excepta Beata Virgine, contraxerunt, & contrahunt re ipsa originale peccatum: Beata tamen Virgo singulariter est præservata. Prima pars constat, quia Scriptura docet, omnes ex Adamo via ordinaria genitos concipi peccatores, & antiquiora Concilia, & Sancti nullum excipiunt. Tridentinum vero solum Beatam Virginem, idque non a definitione, sed facultatem præbens id opinandi: ergo indicat satis de nullo alio modo id posse credi, vel affirmari. Confirmatur, quia si de aliquo dici posset, maxime de Ioanne Baptista: vel simili: sed hunc constat, & Apostolos & alios conceptos fuisse in originali: ergo, &c. Vide quæ dixi tomo 2. in 3. p. dist. 24. sect. 4.

VIII. 4. Propositio.

Quæres, in quo gradu certitudinis sit hoc tenendum. Respondeo si ex meritis Christi dicitur alicui alteri fuisse datum hoc singulare privilegium, non videtur damnandum tanquam plane hæreticum, quia oppositum non est palam cadentis definitum, neque in Scriptura continetur, atque hoc etiam intendit Caietanus: esset tamen non solum temerarium, sed etiam erroneum, quia fere est contra communem consensum Patrum, & contra id, quod generaliter sentit tota Ecclesia. Sed contra, quia excipere aliquem à generali regula mortis, vel peccati actualis, non est erroneum: ergo neque hoc erit. Respondeo regulas Scripturæ eo spiritu esse interpretandas quo traditæ fuerunt: cum ergo Ecclesia, quæ verum nobis fidei sensum proponit, regulam hanc

VI. 2. Propositio exprimens 1. partem præcedentis propositionis.

de originali peccato intelligat, ut nullum, præter Virginem, excipiat, ita est plane interpretanda, sicut in aliis, in quibus vel ex ipsa Scriptura, vel ex Ecclesiæ traditione exceptiones aliquæ, vel manifestæ vel vixi milititer colliguntur. Vide D. Thomam 4. d. 43. quest. 1. art. 4.

X. Circa secundam partem conclusionis de Beata Virgine, adverte duobus modis posse nos intelligere Beatam Virginem potuisse præservari. Primus est, post constitutas à Deo omnium hominum etiam ipsius Virginis, voluntates, in voluntate Adæ, atque adeo postquam omnes in illo peccaverunt, ac necessitatem contraxerunt incurrendi peccatum, simul ac nascerentur, seu conciperentur: Deum tamen ipsum ex gratia, & privilegio suo Virginem prævenisse, ne illa eius necessitas, quam in Adamo contraxerat, haberet in ipsa effectum, & hunc modum in *tomo 2. in 3. p. dist. 3. sect. 5.* late exponimus.

XI. Secundus modus est fuisse Beatam Virginem exceptam in ipso pacto, quod Deus pepigit cum Adamo etiam ante prævisionem peccati eius: itaque licet omnium aliorum voluntates in eius voluntate constituerit, tamen propter dignitatem, & merita Christi voluisse iam tunc Beatam Virginem ad perpetuam sanctitatem ordinare: ut in ea nullo modo penderet à voluntate Adæ. Hic vero modus in primis necessarius non est, nec satis firmus, aut tutus, quia iuxta illud dicendum esset Beatam Virginem neque in Adamo peccavisse. Secundo ex vi suæ conceptionis non contraxisse originale peccatum, nec saltem subditam fuisse necessitati eius. Tertio, non videri eo modo fuisse à Christo redemptam, nam licet præservata tunc diceretur à Christo, ea tamen præservatio redemptionis rationem habere non posset. Nam etiam si post peccatum Adæ Deus statuisset non redimere mundum, Beata Virgo mansisset libera, iuxta prædictum modum. Quarto, mortem, & alias similes penas non fuisse in Beata Virgine ex peccato Adæ, quod tamen esse proprium Christi docet Augustinus libro quarto contra duas epistolas Pelagianorum capite quarto. Dices, hoc argumento probaretur Beatam Virginem vere contraxisse culpam, cum subierit penam. Respondetur negando probari, nam ut patitur penam satis est peccatum Adæ, ita ad illam pertinuisse, ut vere dici posset illam in Adamo peccasse, atque adeo futurum fuisse ut incurreret culpam necessitate quadam, nisi præveniretur, sicut nunc iuste patimur eandem penam post remissionem originalis, nam sicut potest remitti culpa, eadem ratione potest præveniri, non remissa pena.

Ita sentit autor iam olim, cum hæc Romæ diceret in Schola, & deinde typis mandavit in 2. tomo in tertiam partem dist. 3. sect. 5. Eandem porro sententiam plane non multo ante mortem vulgari sermone transmisit Coninsbrica ad socum, qui eum ex Hispania rogauerat, etiam ne perveneret in doctrina eadē, nihil turbatus motu per id tempus (hoc est, vertente anno 16. supra 1600.) exorto circa Beata Virginis immaculatam conceptionem. Eam itaque doctrinam hic fideliter Latino idiomate subiiciendam sum ratus.

XII. Scribit R. T. maxime controverti nunc iis in partibus quæstionem de immaculata conceptione Virginis: supposito videlicet, quod fuerit concepta sine peccato originali, an in se habuerit debitum contrahendi illud in primo instanti suæ conceptionis, prius natura, quam iustificaretur, quærens an penserem adhuc in sententia quam habui in *2. to. 3. partis dist. 3. sect. 3.* agendo

de hoc ipso puncto. Respondeo, nunquam me eam putasse adeo veram ac hodie iudico, quia cum viderem aliquos eorum, quæ cum pietate dicta & excogitata hætenus sunt, & vellem iis fulcire magis dictam opinionem piam, ex iisdem occasione habui firmius adprehendi illi sententiam, quam citato loco secutus sum, intra latitudinem tamen opinionis. Et ideo quemlibet prudentem Theologorum, & dominæ nostræ valde affectum, debere non inclinare ad illud extremum, quoniam ad honorem Virginis nihil refert, neque eius immaculatæ conceptionis veritatem iuvat, præbetque occasionem aduersariis dicendi, non posse nos immaculatam conceptionem defendere, nisi declinando ad opiniones vel censura dignas, vel diminuentes Christi redemptionem, vel saltem apparentiam talem habentes.

Et licet à me non postules fundamentum, vel motuum eius, quod in hac sententia, neque fere habeam ultra ea quæ iam in citato loco 3. partis dixi: tamen quia ratio temporis id exigit, & fortasse nouus discursus efficiat, ut res magis declaratur, vel etiam persuadeatur, proponam que me mouent, afferendo propositiones aliquas, quæ mihi videntur inter se connexæ, & concatenatæ, incipiendo à certioribus, & ex eis deducendo puncti totius resolutionem.

Primo ergo certum puto, conuenire in eo nos omnes, Virginem scilicet immaculatam, fuisse proprie, et vere redemptam per Christum. Hoc fuit fundamentum S. Thomæ, in quo non ei contradicunt boni defensores immaculatæ conceptionis, sed in consequentia, quam fecit quæ reuera bona est. Fundamentum tamen est solidum, nec potest negari, ut latius in dicto loco dixi: nec video, aut audio, qui illud neget.

Ex quo infero egressum Virginem sanguine, & morte Christi, ad sanctificationem suam, præservationemque à peccato originali, quia redemptionis nostræ pretium fuit sanguis Christi, & per mortem suam peculiariter operatus est, ac consummauit redemptionem ipsam, ut passim Paulus, ac tota fere Scriptura docet: ergo si Virgo fuit proprie redempta, fuit vero emptam sanguine Christi, iuxta illud, *empti enim estis pretio magno.* Et eodem modo fuit præservata ex morte Christi præuisa, ut canit Ecclesia in oratione quadam, festi conceptionis, quæ ante Pium V. vniuersaliter recitabatur, & hæc verba continebat, *ut sicut ex morte filij tui præuisa eam ab omni labe præseruasti, & cetera.* Quæ oratio licet hodie, neque in Missa dicatur, nec legatur in toto Missali, in manibus tamen fidelium versatur, ac pie à quam plurimis recitatur. Et audio concessisse eundem Pium V. indulgentiam recitantibus illam cum quadam antiphona, atque ita mihi videtur hanc propositionem, *Beatissima Virgo fuit præservata ex morte Christi præuisa*, negari non debere.

Ex quo etiam sequitur, si Christus non redemisset genus humanum per mortem suam, Beata Si Christam Virginem fuisse concipiendam in peccato originali, saltem secundum præsentem prouidentiam, seu legem à Deo statutam. Probat, præmissa quia Christi redemptio, est vnica, & adæquata causa totius gratiæ comunicatæ hominibus post conceptum lapsum Adæ, atque etiam primæ gratiæ Virgini fuisse daturæ: ergo ablata causa auferretur effectus. Ita homo dixi, ex vi præsentis prouidentie, quoniam potest dicitur quod rat Deus statuere non redimere homines per Christum incarnatum in carne passibili, nec per suam eius passionem, sanguinem, & mortem, & tamē providere, ut per alia opera eiusdem Christi absque pro-

que propria satisfactione, quamvis cum proprio merito & rigoro sua iustitia, præservaret Virginem ab omni peccato, etiam originali, qui etiam foret modus aliquis redemptionis particularis Virgini: sed non foret redemptio quam nunc statuit, & de qua agimus.

XVI. Ex quo procedendo ulterius, colligimus primam Virginis sanctificationem, non fuisse simplicem, sed inclusisse remissionem culpæ, non quæ esset in persona, sed quæ futura infallibiliter fuisset, si gratia non infunderetur. Hoc autem ego sic explico: duobus enim modis infundi potest gratia personæ: unus est ex sola negatione gratiæ: alter est ex privatione gratiæ, quæ sit culpa. Et horum modorum quilibet potest dupliciter contingere: uno modo præcedente in subiecto, & tempore, negatione, vel privatione gratiæ: vel solum ordine naturæ, seu quantum est ex conditione, vel origine personæ, quod facile declaratur in Angelis, & in Adamo innocente: quorum prima sanctificatio non inclusit remissionem culpæ, & ut magis philosophice loquar, non habuit pro termino a quo culpam, sed solum negationem gratiæ. Et iuxta opinionem tenentem non fuisse sanctificatos in primo instanti sui esse, negatio illa præcessit duratione in ipsis. Verum iuxta veriore opinionem fuisse scilicet sanctificatos in primo instanti sui esse, præcessit tantum ordine naturæ, vel simpliciter non præcessit, sed futura fuisset ex vi naturæ, & conditionis personæ, si gratia in eo instanti non infunderetur.

1. Modus explicandi hoc.

XVII. Alter modus sanctificationis, qui habet pro termino a quo propriam privationem gratiæ, quæ est culpa, inuenitur communiter in filiis Adæ, quorum sanctificatio est translatio culpæ ad gratiam, ut colligitur ex Tridentino sess. 6. & ita includit cum sanctificatione remissionem culpæ, ut idem Concilium docet. Hæc vero culpa ordinarie præcedit tempore sanctificationem, & nunc includit propriè, & (ut ita dicam) formaliter remissionem culpæ, veruntamen fieri etiam potest, quin culpa præcedat in subiecto per aliquod momentum, vel durationem, sed solum ordine naturæ, seu ex conditione, & statu personæ: & tunc magis propriè dicitur præservatio culpæ, quam remissio, vel dici potest eminentis remissio culpæ, quamvis formaliter non sit remissio, verum in effectu etiam ista sanctificatio habet quodammodo culpam pro termino, non quæ præcesserit, sed quæ futura fuisset, nisi præueniens gratia impedivisset.

XVIII. Dico ergo sanctificationem Virginis fuisse isto ultimo modo, quia id necessarium est, ut eius sanctificatio fuerit redemptiva, atque ex morte, & sanguine Christi. Atque ita sanctificatio Angelorum & Adami in sua prima creatione, non potest dici fuisse ex redemptione, quia nullo modo inclusit remissionem culpæ, nec necessaria erat mors, aut sanguis ad sanctificandum, absque remissione culpæ. Ergo ut Virgo fuerit sanctificata ex sanguine Christi, & per modum vere redemptionis, oportet, ut aliquo modo fuerit translata à culpa, ad gratiam, non quidem à culpa, quæ in ea præcesserit, sed quæ in ea fuisset, nisi per Christum ita fuisset præventa scilicet eminentiori modo applicando illi fructum passionis suæ, non ut ordinario modo illi remitteretur culpa, sed eminentiori, atque per præservationem, quod declaratur, & confirmatur per hanc conditionem, quia si beata Virgo non fuisset sanctificata in conceptione, nec gratiam in primo instanti habuisset, eo ipso non solum esset non grata, vel non sancta, sed

etiam esset in peccato, & Deo iniusta, & ingrata. Ergo eius sanctificatio fuit remissiva, seu potius impeditiva peccati, & ita fuit sanctificatio, redemptiva, seu quæ fuerit effectus redemptionis, & sanguinis Christi.

Quod autem, si pro illo instanti non fuisset virgo sanctificata, carentia gratiæ non fuisset in illa pura negatio gratiæ, sed esset etiam privatio & culpa, probatur, quia nullus homo redemptione indigens potest carere culpa, si effectus redemptionis illi non applicetur. Et explicatur hoc magis, quia alias non fuisset Virgo præservata à peccato originali per gratiam, quæ illi data est in instanti conceptionis suæ, quia etiam si ei non daretur, non fuisset concepta in peccato, sed in puris naturalibus, ut aiunt. Video posse responderi, fuisse præservatam à peccato remoto, & quasi in radice, eo quod fuerit exempta à generali lege per quam omnes in Adam peccant. Verum hoc reuera non satis facit quantum ad punctum redemptionis, nec quantum ad modum iustificationis redemptivæ ab statu peccati.

Quod etiam magis declaratur à simili, quoniam si Deus in sua æterna prædestinatione statueret non permittere peccatum Adæ, sed dare ei gratiam efficacem ad non cadendum, & ex consequenti ne alii caderent, in ipso, & hoc fieret per merita Christi præuisa, eo modo quo prævideri poterit ante prævisum originale peccatum non posset tunc homines dici redempti à Christo & multo minus per eius mortem, quæ data illa hypotheti futura non fuisset. Nec de filiis Adæ, qui tunc concipiendi essent in gratia, poterat proprie, & vere dici, quod per gratiam, quæ tunc eis dabatur, præservari erant à peccato originali: ergo neque modo dici posset de Virgine si tam remota ab ipso pacto cum Adamo inito fuisset exempta. Ac denique non videtur posse negari quod quemadmodum alii homines habuerunt in Adamo debitum habendi gratiam ab initio conceptionis suæ, ita & Virgo habuerit id debitum: nam hoc per se ad perfectionem spectabat, & fundabatur in iure quodam, ad habendam à principio iustitiam, & gratiam, si Adam in innocentia perseverasset, à quo iure non est beata Virgo excludenda, cum per se bonum sit, & ad perfectionem spectet, & nullum sit fundamentum ad talem exclusionem faciendam: ergo si beata Virgo in instanti conceptionis gratia caruisset, illa carentia non tantum foret negatio sed privatio gratiæ, quam habere debuisset proveniens non ex pura voluntate Dei, sed ex peccato Adæ, ac proinde esset culpa originalis, sicut est in aliis hominibus.

Ex quo ulterius concluditur fuisse Virginem in instanti suæ conceptionis obnoxiam de se originali culpæ, nisi præservaretur per gratiam, & consequenter habuisse debitum eiusdem culpæ, quoniam esse obnoxiam, & habere debitum, duo non sunt, sed idem diversis verbis significatum, ut liquet. Et probatur, quoniam de natura præcisè, ac purè considerata, absque ordine ad Adam, & ad id quod ex illo hæreditariè contrahit, nullus haberet peccatum in sua origine, seu principio sui esse, etiam si tunc Deus gratiam suam illi non communicaret, sed solum maneret in sua pura natura, cum negatione gratiæ: ergo si ex Virgine ex Adam concepta non ita contingeret, sed potius eo ipso, quo non haberet gratiam, habitura esset peccatum, necessario dicendum est, quod propter talem conceptionem, & hæreditatem ex Adamo, de se subiecta erat, & obligata ad contrahendum peccatum nisi

XIX. Probatur.

XX. Declaratur à simili.

XXI. Confessio.

Handwritten notes in the right margin, including the word 'OTIO' and other illegible characters.

Vi aliqui
superio-
rem discur-
sum conen-
tur elude-
re.

nisi gratia præueniretur, & hoc esse obnoxiam, & habere debitum. Atque ita videtur concludi non se compati esse Virginem vere, & proprie redemptam Christi morte, & non habere saltem debitum contrahendi culpam. Vnde nonnulli conuicti hoc discursu fatentur habuisse Virginem debitum contrahendi culpam originalem in Adamo, vel parentibus suis, quatenus filij Adami fuerunt, non vero habuisse tale debitum in propria persona. Mouentur ad hoc asserendum, quia aliter non posset sanctificari in primo instanti suæ conceptionis, quia in illo haberet id debitum, quod cum gratia non compatitur, alias haberet Virgo tale debitum semper, si gratia illud non excludit.

XXII.
Redar-
guantur.

Si Virgo
B. non pec-
cavit in
Adam non
posset vere
dici redem-
pta à Chri-
sto.

Hoc tamen non intelligi potest, nec consistere, aut fundari: nam in primis si Virgo habuit debitum in Adamo, necesse est vt in Adamo peccauerit, quod etiam suppono tamquam verum, nec negari potest, quia alias non egeret vera redemptione, nec morte, & sanguine Christi, si quidem prima & fundamentalis ratio redemptionis Christi fuit peccatum Adæ tanquam capitis, in quo includitur peccatum originale, & consequenter ordinata est in remedium omnium peccatorum actualium, quæ ab originali descendunt, iuxta communem doctrinam Theologorum, ex qua sequitur quod si Virgo nõ peccaret in Adam, non fuisset comprehensa in obiecto, seu materia redemptionis, neque in decreto quod Deus habuit, vt Christus moreretur ad redimendos homines, quia tale decretum supponit originale peccatum, saltem in præsentia absoluta Dei. Atque ita quando Ecclesia dicit fuisse Virginem præseruatam ab originali ex morte filij sui præuisa, aperte supponit virginem per se comprehensam in peccato Adæ, & consequenter in Adam peccasse propter quod credo non esse Virginem excipiendam ab illa Pauli regula, omnes in Adam peccauerunt, Romanor. 3. & adhuc in eo loco non addit limitationem illam, in Adam, sed absolute dicit omnes peccauerunt & egerunt gloria Dei. Sed ita locutus fuit vt omne peccatum complecteretur, & ex cap. 5. colligitur, quod tantum ad originale, intelligi debet cum dicta moderatione, vt constat ex illis verbis, in quo omnes peccauerunt atque etiam, quia infantes proprie non peccant, nisi contrahendo peccatum, quia in Adam peccauerunt, nec gratia præueniuntur.

XXIII.
B. Virgo
peccauit
in Adamo
& egit re-
demptione
filij.

Dico ergo non posse Virginem excipi ab hac regula, omnes in Adam peccauerunt, quemadmodum nec posset excipi ab illa, omnes egerunt gloria Dei. Quam gloriam declarat ipse Paulus, nasci ex eo quod omnes sint iustificati gratis per gratiam redemptionis ipsius per redemptionem, qua est in Christo IESV, quem posuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. Ex quo colligo pertinere ad gloriam Dei, & Christi, quod B. Virgo sit iustificata per redemptionem, quæ est in Christo IESV, & in sanguine ipsius, nec debere negari hanc gloriam Christo, quantumcumque Virgo fuerit iustificata per præseruationem ab omni culpa, & non minus quam Paulus, imo eam maiori gratitudine, quam ipse, sentiebat & dicebat de filio suo, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Denique prætermisis aliis, quæ in confirmationem huius rei alibi adduxi, qui consentunt habuisse Beata Virginem debitum contrahendi peccatum originale saltem in causis, se in Adam, negare non potuerunt quod Beata Virgo peccauerit in Adam, quia id debitum ex altera ratione oriri non potuit.

Hoc supposito dico quod in præsentia non datur locus de debito in propria persona, vel in parentibus, seu in Adam, quoniam hoc debitum non est res physica, quæ ponat aliquid reale in Virgine, sed est veluti obligatio quædam moralis, nata ex Adamo, & suos descendentes denominat debitores solum propter originem, quam trahunt ex illo, atque ita supponendo hoc debitum, vt fuit in Adamo, comprehendisse Virginem eo ipso quod Virgo ab hac radice infecta per feminalem generationem descendit, necessario sequitur quod delictum, quia hoc debitum respectu vt virginis fuit in Adam, tanquam in causa agente, & obligante Virginem, sed in Virgine solum poterat esse tanquam in passio de se subiecto, & obnoxio infectioni à tali causa: ergo si Beata Virgo habuit hoc debitum in Adamo, non potuit habere illud in instanti conceptionis prius natura, quam sanctificari intelligatur, eo vtique modo, quo haberi potest, scilicet morali, & per extrinsecam denominationem. Et declarari potest per comparisonem ad alios infantes, nam in illis etiam in instanti conceptionis cuiusque posunt: distingui duo signa naturæ, vnum in quo habent debitum contrahendi peccatum originale, aliud in quo iam sunt infecti peccato originali, nam illa duo vel distinguuntur tanquam in causa, & effectus, vel saltem tanquam via & terminus, illa obligatio contracta ex peccato Adæ, ratione cuius eo ipso quod sunt, subiecti influxui culpæ cum Adamo prouenientis, & hoc est satis, vt dicantur habere hoc debitum in se, & in illo semper includitur conditio, nisi Deus gratia sua præueniat, & impediat originalis culpæ influxum: ergo quoad hoc debitum, eadem est ratio de Beata Virgine, supposito quod in Adam peccauit.

XXIV.
Futuris
quorundam
determinatione
de debito in
Adam, & de debito
virginis in se-
ipsa.

XXV.

Atque hinc facile intelligitur, quomodo nulla sit repugnantia quod Virgo in primo suæ conceptionis instanti fuerit sanctificata, non obstante hoc debito: quia gratia nõ opponitur formaliter debito, quod persona de se, & ratione suæ originis habet ad carendum gratia, si priuilegium ei non infundatur, sed opponitur ipsius, mer gratiæ priuationi, quæ in Virgine non est concepta, nec debet intelligi præcedere realiter in instanti cum prioritate naturæ, hoc enim repugnat, sed solum intelligi debet futurum fuisse in persona talem priuationem cum vera ratione culpæ, nisi gratia præueniret, & hoc sufficit ad debitum, quod etiam est prius priuatione in eodẽ ordine naturæ. Atque ita nulla est repugnantia quod persona in instanti suæ conceptionis spectata in se, & in eo quod acciperet à causis suis proximis, si non impedirentur, subiecta sit influxui culpæ, & quod in eodem instanti Deus, vt causa superior præueniat influendo gratiam, impediatque influxum culpæ, & hoc modo potuit Deus facillimè sanctificare B. Virginem in primo instanti suæ conceptionis, non obstante dicto debito, quia quamuis Adamus obligauit omnes suos descendentes vt inciperent vitæ cum culpa: Deus tamẽ non se obligauit ad negandam gratiam omnibus in eo instanti, nullo excepto, neque se abstulit potentiam præueniendi quem voluisset, ac decrederet, iuxta suam æternam sapientiam, tali sanctificatione, quæ culpam impediret.

XXVI.

Neque etiam sequitur, quod inferebatur, si Virgo habuit hoc debitum in primo instanti, non

Debitum
contra-

non obstante gratia, futurū id debitum semper in ipsa: quia licet nonnulli ex modernis velint hanc illationem concedere, nec putent inconueniens asserere debitum peccati manere semper in Virgine: imo putent necessarium, cū non appareat ratio aliqua differentie inter primum instans, & reliquum tempus: attamen non sentio hoc probabile, nec verisimile, nec video fundamentum alicuius momenti, in quo nitantur: & ideo dico, debitum hoc non debere intelligi nisi pro primo instanti conceptionis, & id in prioritate naturæ: seu ex meritis causarum, quia hæc solum habent virtutem influendi peccatum originale in primo instanti, & in primo signo naturæ illius, atque adeo si tunc impediatur à Deo præueniente animam cū vera sanctificatione, omnino extinguitur virtus illa causarum, vt non possint amplius inducere originale peccatum: ex quo sequitur vt in tali anima nullum iam maneat debitum originalis peccati, quia non amplius manet etiam ex se subiecta infectiōi culpæ à talibus causis. Et ratio, vt iudico, euidentis est, quia per talem sanctificationem omnino, & eminentissimo modo remittitur culpa originalis, quæ in illo instanti inducenda fuisset, culpa autem semel remissa redire iterum non potest, nec manet iam in virtute causarum, & ideo persona cui remissa fuit talis culpa, non potest manere obligata, nec obnoxia illi, etiam si secundum se consideretur, vt trahit originē ab Adam. Et in hoc apparet clare differentia inter primum instans pro primo signo naturæ, & reliquum tempus subsequens: quia in illo signo primi instantis, nondum intelligitur remissa culpa originalis, & ideo adhuc intelligitur persona de se obnoxia culpæ: tamen postquam in secundo signo primi instantis facta est remissio culpæ, iam in posterum non manet illa persona obnoxia tali culpæ. Vnde etiam si postea, per Dei voluntatem gratia priuaretur, iam nō traheret originale peccatum ab Adamo, quia illud quod trahere poterat, remissum fuit, & illa carentia gratiæ non haberet rationem culpæ, si solus Deus pro sua voluntate tolleret gratiam: Confirmatur hoc, quia omne debitum vel solutio, vel remissione extinguitur, ita vt amplius non idem maneat, nec redeat. Circa quod possem longius discurre, sed nolo in his punctis esse prolixior, & quæ diximus sufficiunt his qui in materia sunt versati.

Ex dictis intelligitur magna differentia quæ intercedit inter debitum, & peccatum originale, propter quam etiam si necessarium sit ad perfectam sanctitatem, & puritatem virginis, conceptam fuisse absque originali labe, non fuit conueniens vt de se non esset illi subiecta, quod idem est ac habere debitum. Ratio est, quoniam peccatum originale facit inimicum Deo, quod non facit debitum. Item originale est vere peccatum, defectusque moralis: debitum vero neque peccatum est, neque defectus moralis, quoniam ante peccatum originale non potest dari moralis defectus in puero, vt est manifestum, atque ita debitum hoc est veluti defectus naturalis, qualis est nasci ab ignobilibus, seu esse huius, vel illius originis, vel nasci à parentibus perduellionibus, quod nihil refert ad perfectam sanctitatem atque innocentiam. Ac si res bene perpendatur, eo ipso, quod Deus ordinauit, ac voluit Virginem nasci ex Adamo peccatore via ordinaria, voluit eam nasci ex radice infecta, & ex principio quod Deo fuerat perduellio: cum quo simul fiat, vt nasceretur semper sancta, & innocens, licet ex præiudicio,

hoc enim nihil derogat perfectæ sanctitati & innocentie Virginis in seipsa considerata.

Quod si dicatur fuisse maius priuilegium excipi à lege in ipso Adam, & consequenter excipi à debito culpæ, quam si à sola culpa dicatur excepta: respondetur in primis, esto hoc ita esset, talem tamen meliorationem, vel anticipationem priuilegii, nihil referre ad sanctitatem, & puritatem virginis. Secundo negatur esse maius, vel melius Virgini tale priuilegium, quia melius, & honorificentius fuit Virgini habere priuilegium præseruationis per sanguinem, & mortem Christi, quam habere illud modo illo anticipationis. Ultra quod considerandum etiam est, legem, quam Deus constituit cum Adamo respectu posterorum eius, de se fuisse ordinatam ad hoc vt omnes nascerentur in gratia à sua origine, vnde nomen habuit iustitia originalis, & nullo modo conueniebat, vt Virgo ab hac lege exciperetur, qua conciperetur in iustitia originali, Adamo non peccante. Ex quo etiam sequitur, quod vel non posset, vel non conueniret excipi ab ipsa lege, in quantum per consequens includebat, vt Adamo peccante, ipse tibi suisque posteris gratiam perderet, ex quo oritur debitum peccati originalis.

Atque hinc etiam facile intelligitur, quomodo hoc debitum peccati originalis, cum præseruatione ab ipso peccato, non repugnet modo altissimo, & perfectissimo prædestinationis, & electionis Virginis ad gratiam, & gloriam perpetuam cum purissima innocentia: imo recte consentiat cum quouis modo prædestinationis, qui iuxta varias Theologorum sententias probabiles tribuitur Virgini. Est namque opinio valde communis quod nec Christus, nec, Virgo, in quantum mater eius, fuerunt prædestinati, nec præelecti ad gloriam ante præuisum originale peccatum. imo multi dicunt, nullum hominem ita fuisse prædestinatum: iuxta quam opinionem impossibile est defendere non habuisse Virginem debitum peccati originalis, quia nō potuit esse exempta à lege posita Adamo, neque etiam poterat excipi à communi lege, ex meritis Christi præuisis: & tamen adhuc intelligitur facillimè, quod quamuis fuerit prædestinata post Adæ peccatum, potuit tamen esse prædestinata ad perpetuam innocentiam, & præseruationem ab omni culpa ex morte Christi iam præuisa: & cum illa opinio de prædestinatione sit probabilis, non debemus limitare veritatem præseruationis Virginis ab omni peccato cum perfecta innocentia & sanctitate, vt non possit teneri, ac defendi cum illa opinione.

Verum supponendo vt probabilius fuisse electam ad perfectam innocentiam, & sanctitatem ante præuisum originale peccatum, dico non posse inde inferri, quod fuerit exempta à lege, seu pacto in Adamo, vel quod non habuerit debitum: hæc enim duo bene coherent, scilicet quod ante præuisum originale peccatum, propter merita Christi præuisa (præscindendo vtique à morte, & passione) Deus prælegerit virginem ad gloriam, gratiam, perpetuamque innocentiam, & nihilominus constituerit eam in Adamo sub eadē lege, & pacto cū ceteris hominibus. & cum permissione peccandi in Adam, quia non obstante hoc pacto, & permissione, semper potuit impleri prius illud decretum absolutum, & immutabile, quo beata Virgo fuerat electa, quia et si peccatura esset in Adam, nihilominus in se semper esse potuit sancta, & innocens, vt iam declaratum est: neque certitudo prioris decreti expōsit.

XXIX. Prædestinatio B. Virginis iuxta omnes opinionēs probabiles, quomodo cum debito peccati originalis conueniat.

XXX. Oportet coherere in opinione quæ docet electionem Virginis ante præuisum peccatum Adam.

exposita fuit periculo propter permissionem peccati Adæ, vel Virginis in Adamo, ut quidam obijciunt: quia sciebat Deus se potuisse alio medio efficere, ut prius decretum infallibiliter impleretur, non obstante superueniente peccato: atque ita sicut post præuisum originale peccatum, ordinavit Deus Christum ad mortem, passionem (quod antea non fecerat secundum nostrum intelligendi, & loquendi modum,) ita etiam propter mortem Christi præuisam, voluit exequi prius decretum electionis Virginis, præservando illam ab originali culpa in se contrahenda. Unde in his signis prædestinationis, & electionis contingit errare, quia non fit distinctio inter decretum quod est per modum intentionis finis ab ordinatione mediorum, ut in præfenti contingit. Nam prælectio Virginis ante originale peccatum præuisum: ad perpetuam sanctitatem & innocentiam, intelligenda est per modum cuiusdam propoliti, & intentionis finis, seu effectus, qui potuit intendi ante præuisum peccatum, quamvis media per quæ executioni mandandus erat, non fuerint præordinata ante præuisum peccatum, sed postea: sicut est valde probabile omnes prædestinatos fuisse præelectos ad gloriam ante præuisum originale peccatum: media autem particularia, per quæ saluantur, non nisi post originale peccatum fuisse præordinata, seu prædefinita. Et ex hac sola notatione refelluntur facile obiectiones, quibus aliqui moderni, repugnantiam inter illa decreta ostendere nituntur, confundunt enim finem cum mediis, & ordinem intentionis cum executionis ordine: & ideo falsa principia sumunt, & nihil concludunt, ut alibi latius dictum est.

XXXI. *Potest vere confirmari quod dicimus communi argumento quod sumi solet ab vno effectu peccati originalis, qui est passibilitas, & infors corporis, à quo effectu non fuit Virgo præservata, & id fuit scilicet ut illam incurreret, quia mors, & passibilitas corporis in Virgine, non fuit solum effectus, & proprietatis naturæ, sed reuera fuit effectus peccati Adami, iuxta regulam Pauli Roman. 5. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit. à qua regula non possumus cum fundamento eximere mortem virginis, quia hoc neque ad sanctitatem, vel innocentiam Virginis spectat, neque habet fundamentum in Patribus, vel Ecclesia: item quia si Adam non peccaret, beata Virgo nata ex illo, immunis à morte nasceretur: ergo si nunc non habuit hanc immunitatem, fuit ob Adæ peccatum, quia si negatio fuisset causa negationis, affirmatio profecto est causa affirmationis. Nec dici potest quod quamvis Virgo non amisit immortalitatem quam haberet in statu innocentie propter peccatum Adæ, illam abstulit Deus propter meliorem ordinem suæ providentiæ, ut in hoc statu nasceretur in corpore, & exterioribus conformis cæteris hominibus, præsertim filio suo, & ut ex illa acciperet ipse carnem passibilem. Hoc, inquam, non est verisimile, quia Deus neminem priuat donis, quæ dedit, vel iure ad illa, sine culpa sua, vel quæ ad ipsum aliquo modo pertineat. Unde cum Deus dederit immortalitatis donum naturæ humanæ cum iustitia originali, nullum purum hominem priuavit eo dono, nisi propter peccatum*

XXXII. *Adæ. Atque ita, inquit, Augustinus, contra duas epistolas Pelagianorum lib. 4. cap. 4. circa medium, quod trahere mortem sine merito mortis de vno solo*

mediatore Dei & hominum homine Christo IESU, Catholica fides novit, qui pro nobis mortem, hoc est peccati penam, sive peccato lubre dignatus est. Ex qua Augustini sententia colligitur mortem in omnibus hominibus, aut esse penam culpæ, quam vel in se contraxerunt, vel in Adam commiserunt, vel est remedium culpæ vniuersalis. Et sicut hoc secundum est singulare Christo; ita prius est generale reliquis hominibus absque exceptione, ut ipse ibidem expressè addit. Ad quod plane necesse est asserere, beatam Virginem in Adamo peccasse, & quod de se obnoxia fuerit originali culpæ: non est tamen necessarium, ut beata Virgo in se habuerit originale peccatum, quia solet Deus remittere eam culpam nõ remissa pena mortis. & hoc ipsum potuit efficere cum Virgine, etiam si eam à culpa præservauerit, quia, ut dictum est, præservatio illa fuit quoddam genus remissionis culpæ, altius & excellentius: & affinitas tali remissione, potuit manere mors tanquam pena demeriti Adami, non tantum ut erat solum demeritum ipsius, sed omnium descendendum qui in eo peccauerunt, quod maxime illic intendit Augustinus contra Pelagianos. Atque eodem modo incurreret Virgo fontem peccati, & alias penas ex vi suæ conceptionis, nisi ab eis, licet à culpa præservaretur: sed in eis erat peculiaris indecentia, & affinitas cum peccato, quæ nimium derogabant perfectioni sanctitatis, & ideo ab eis etiam fuit præservata: at vero in morte, & passibilitate corporis, non erat talis aliqua indecentia, imo erant multa convenientia, & ideo noluit Deus eam ab hac pena præservare: & ita licet non sit sufficiens indicium culpæ præcedentis, est tamen sufficiens debiti culpa.

Quod attinet ad Tridentinum dico frustra ab aliquibus induci ut det licentiam non solum ad eximendam Virginem à peccato originali, sed etiam à debito eius, quia hoc nec est iuxta mentem, nec iuxta verba eius, quia expressè ait, non esse intentionis suæ comprehendere immaculatam Virginem in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur. Constat autem non esse idem agere de peccato originali, & agere de debito eius, de quo nihil omnino tractat Concilium, nisi quod in can. 2. attingit, quod Adam peccato sibi, suæque posteritati nocuit, transfundendo in descendentes non solum peccatum, sed etiam culpam, & ad hoc solum allegat locum Pauli Roman. 5. in vltimis verbis colligendo eas ex transfusione peccati. Quod amplius declarat remittendo ad Extrauagat. Graue nimis. Sixti IV. quæ etiam solum agit de immunitate peccati originalis, & non debiti. Et ita certum est, quod si quis hodie affirmaret, vel prædicaret, affirmantes, vel prædicantes Virginem non habuisse debitum, vel non fuisse obnoxiam culpæ originali ex vi originis, mortaliter peccare, vel etiam esse hæreticos, vel erroneam doctrinam seminare, certum inquam, est quod si quis hodie hoc affirmaret, non peccaret contra illam Extrauagantem, nec eius penas incurreret, quicquid sit de imprudentia, vel culpa, quam alioquin in eo committeret, ergo sicut Christus IV. nõ fuit locutus de debito peccati, sed de culpa ipsa, & præservatione eius, ita quoque ea fuit Concilii Tridentini mens, mens enim allegantis ex mente eius quod allegat recte colligitur.

Si vero querat aliquis, an contraria opinio censuram aliquam mereatur, dico in eadistingui Quamvis oportere tria genera, vel tres gradus propositionum. Aliquæ sunt quæ attingunt Christi redemptionem: ut, Beata Virgo non fuit præservata à peccato originali ex morte Christi præuisa, vel, non fuit B. Virginis propriæ nem fuisse

XXXIII. *Fructus ad uerjarrum argumetum ex Tridentino, regit.*

X

XX
Quis
his q
gan

propre redemptam, aut præservationem ab originali, ex morte Christi præuisa?

Quid de his qui negant peccatum in Adam aut contraxisse omnino debitum?

proprie redempta per mortem Christi, vel, Christi sanguis, aut mors non fuit necessaria Virgini ad eternam salutem. Et hæc omnes, vel quæ necessariam connexionem cum illis habuerint, putare ego continere melam doctrinã, & aliqua censura dignã, quam nunc non determino, quia necessarium non est. Alterum genus propositionũ est de solo puncto debiti absolute sumpti in se, & in sua radice, vt, *Beata Virgo non peccauit in Adam, vel non habuit debitum peccati originalis nec in se, nec in alio.* & has non puto dignas censura aliqua, quia possunt defendi absque connexionem vlla cum prioribus. Verũtamen ad hoc defendendum, necessarium etiam est defendere Christum fuisse prædestinatum ante peccatum originale absolute præuisũ, non solum quoad assumptionem humanitatis, sed etiam quoad carnẽ passibilem & mortem, quia Christus redemptor non fuit, nisi mediã ipsius morte, & passione, iuxta verbum eius Matth. 20. *Filius hominis venit dare animam suam, in redemptionem pro multis;* propter quod communiter in Scriptura dicitur fuisse sanguinem Christi precium redemptionis nostræ: atque adeo vt Virgo dicatur proprie & verè redempta per Christum, necesse est saluare fuisse præseruatã ex morte Christi præuisã, vt supra numero 14. visum est. Et ex consequenti ad asserendum, fuisse præseruatã ante præuisum peccatum originale, oportet asserere etiam mortem Christi fuisse prædestinatã, & præcognitam ante peccatum originale, quia sic dici poterit, B. Virginem fuisse præseruatã per Christum, vt redemptorem, vt pote per mortem & passionem eius. Ad quod necesse est addere ad redemptionem sat esse, exemptã fuisse anticipatẽ in lege, & pacto cum Adamo inito, quia nisi ita fuisset, exempta peccaret in Adamo, & consequenter ex vi suæ originis contraheret originale peccatum. Et quoniam in his duobus, scilicet quod mors Christi fuerit præordinata ante originale peccatum præuisum, & quod id genus præseruationis sat est ad propriam redemptionem, non continet errorem, nec aliquid contrarium modo loquendi Scripturæ, vel Patrum, nec etiam apparet in excipienda Virgine a quavis lege vniuersali quæ attingat peccatum, vel peccare etiam in alio: propterea credo hoc secundum genus propositionum, non mereri censuram aliquam, nec potest dici improbabile, cum non deint authores pii ac docti qui id probant.

XXXV. Veruntamen ego illis non acquiesco, nec in eam sententiam induci possum. In primis enim mihi nimis durum videtur, quod Christus vt passibilis, eiusque passio, & mors fuerint prædestinata ante præuisum absolute originale peccatũ, propter ea quæ alibi scripti. Secundò non videtur etiam mihi sufficere ad propriam redemptionem, quia vbi non interuenit aliquo modo remissio peccati, & satis factio pro persona redempta, non videtur dari propria redemptio, vt supra declarauit ponendo casum in quo Deus ex præuisis meritis Christi præseruaret totum genus humanum in Adamo, atque etiã ipsum Adamum, non permittendo ipsum peccare, quæ tamen non esset propria redemptio, quamuis esset genus aliud excellentissimæ gratiæ, & benedicti. Id quod verum etiam est, quamuis supponatur Deum scire optimè quod si permitteret, Adamum peccare, ipsum fuisse infallibiliter peccaturum.

XXXVI. Tertius modus sentiendi, & loquendi in hac materia est eorũ, qui dicunt in persona propria Virginis non fuisse debitum peccati originalis, quamuis in Adamo illud haberet, quia in Suarez in primam secundam D. Thom.

eo peccauit. Et hoc genus propositionum clarius multo est, non mereri censuram Theologicam, vt sic dicam, verum ex vi rationis, videtur mihi includere contradictionem, quia, vt supra num. 21. dictum est, debitum in propria persona, non est nisi moralis quædam denominatio à debito contracto in alio, nam eo ipso quod persona procedit à tali radice infecta, & ex illo semine, nascitur sub illo debito, & ab illo denominatur: atque ita hæc duo, scilicet, personam habuisse debitum peccati in parentibus, & esse in se obnoxiam tali debito cum primum incipit esse per viam feminalem à talibus parentibus, sunt veluti duo correlatiua, quæ impossibile est non dari in vtroque extremo, eo ipso quod sunt, vel se habeant vt duo extrema, quorum vnum denominat alterum intrinsece, & absque separatione abinuicem, quomodo fieri non potest, vt vnus videat, & nihil sit quod videtur: quod vt etiam supra tetigi, locum habet in hominibus in peccato originali conceptis: nam prius natura quam intelligantur esse sub peccato intelliguntur esse sub debito, & habere illud in se, eo modo quo morale debitum personæ inesse potest. Et propterea non obstant eo debito, poterat Deus præseruare à peccato originali Ioannem Baptistam, vel alterum si veller: verum hoc privilegium patri suæ reseruauit. At verò quoad debitũ in priori naturæ, necessariò mã fit virgo eiusdem conditionis cum aliis, si semel admittitur illam peccasse in Adamo, & in illo habuisse debitum peccati originalis, quia necessariò attingit personam dicto modo, eo ipso quod existere incipit, neque potest præueniri in aliquo priori naturæ, quia talis persona non prius natura est, quam sit ex tali radice, & per talem originem. Et quidem puto has consequentias adeo necessarias, vt in materia censuræ Theologicæ sit hoc tertium genus propositionum in eodem gradu cum secundo: & in ratione discursus, existimo hoc posterius minus præbabile.

Restabat vnum verbum pro authoribus qui allegantur pro carentia debiti, pro qua opinione allegati in primis Catherinum, Galetinum, & Vguerium. Et postea P. Vazquez excepit duos posteriores, nescio quo fundamento. Verum nunc non refert id expendamus, quia licet omnes tres ita sentiant, non satis erit ad probabilitatem sententiæ, nisi ad stipulentur etiam alii. Veruntamen postea citantur plerique authores, quorum plures prodierunt postquam in 2. tomo 3. partis quæstionem agitauit: qui verò antea prodierant, ad meas manus tunc non venerant. Et vnus ex iis est P. Salmeron super epistolam ad Romanos cap. 5. disput. 45. in fine quia dicit pactum Dei cum Adamo ad beatam Virginem se non extendisse, sed præuisam vt matrem, singulari privilegio fuisse exemptam. Verum ipse idem author in disput. 50. parum à principio, cum dixisset quod solus Christus fuit longè, non solum ab actu peccandi, sed etiam ab omni potentia, addit, quare longè excedit Virginem in qua fuit potentia, & debitum contrahendi peccatum. Et aliquanto inferius in § obuiet, significat solum Christum exemptum fuisse ab illa sententia Pauli Ephes. 2. *Erasmus natura filii mæ.* Et ad hunc modum loquitur in discursu illarum disputationum, quod dico, vt aduertatur non sat esse authorem obiter dicere Virginem fuisse exemptã à peccato, quia optimè intelligi potest de peccato quoad executionem eius, non verò quoad contractum, seu obligationem: Et iudico hoc sensisse Patrẽ Salmeronẽ in citatis verbis. Et fortasse

mum debiti in B. Virgine: ad mittunt vt remouet in Adamo?

XXXVII.

P. Salmeron non debiti in B. Virgine agnoscat.

XXXIII. Quamuis...

XXXIII. Quamuis...

multi exiis, qui pro hac opinione allegantur, ita etiam loquuntur. quanquam nunc tempus non habeo ad videndum omnes, & nonnulli minus noti non sunt apud nos: quanquam scio eorum plerisque non satis expendere punctum, sed obiter, & summarie loqui, atque ita verisimile est non loqui in proprio rigore puncti, quod tractatur.

XXXIX. Pro qua re proponam exemplum aliud, quod ex P. Canisio afferitur lib. 5. de beata Maria cap. 27. ubi in §. ad Thomam, refert hęc verba ex Alberto Iustiniano, Magno, Hanc Virginem solam a communi illa regula excipi: Omnes peccaverunt in Adam, quæ ipse sequitur, & approbat absque alia declaratione. Verum tamen absque dubio Alberti mens non fuit loqui de exceptione in ipso pacto facta, ut sic dicam, sed à lege contrahendi peccatum originale, quæ in ipso pacto inclusa est, vel, quod idem est, de exceptione ab executione, & effectu pacti Maiori cum rigore & distinctione loquitur Pater Iustinianus, qui etiam allegatur 1. Timoth. 2. Circa illa verba. qui dedit redemptionem, &c. & apud me author est grauis: verum solum dicit, valde probabile existimo. in quo ego non contradico, quanquam illud valde excusari posset. Allegatur etiam P. Valentia 2. tomo disp. 6. quæst. 11. puncto 2. s. Quare ad primum. Vbi ad argumentum quod concedebat. non potuisse Virginem præseruari à peccato originali, supposito pacto cum Adamo, respondet potuisse præseruari ab ipso pacto, & addit, quod de beata Virgine præ credi potest. Verum subdit responsum aliam, quod licet non fuerit excepta à pacto, potuit tamen esse, & fuisse à peccato. Et in altero §. addit quod licet prior si latio bona sit, secunda tamen est melior. Et in hac materia mihi videtur eligendum quod melius, & quod seruetur inter defensores immaculatæ conceptionis Virginis vnio, ut facilius deueniatur ad eius certitudinem intelligendam. Patres verò, qui pro eadem parte citantur, omitto, quia reuera id non explicant.

XXXIX. Vltimo addo circa id quod inuenitur scriptum de hoc privilegio præseruationis Virginis, in vno ex libris antiquis qui inuenti sunt in montibus sancto Granatæ, qui tribuitur Dino Sicilio, & habet pro titulo, de domo gloriæ, & domo tormenti, in quo libro dicitur egisse Apostolos de hoc mysterio, confirmando veritatem immunitatis virginis à culpa originali. Et audio allegari in fauorem sententiæ afferentis Virginem non solum non habuisse culpam, sed neque etiam eius debitum. Verum iuxta noticiam, quam de hac re habeo, nullo modo D. Sicilius, aut Apostoli ab eo relati, fauent dictæ opinioni, nam formalia verba libri illius scripta ad me sunt à viro graui, & docto, & qui iure poterat ea scire: sunt hæc. Illa Virgo, illa Maria, illa sancta, illa electa, à primo originariæque peccato præseruata fuit, & ab omni culpa libera, atque hæc veritas Apostolorum Concilio est. nescio alia verba esse in eo libro, quæ ad hanc rem pertineant, nisi comminationem pœnæ, quæ ad nostrum casum non facit. Et ex citatis verbis constat, agi solum de præseruatione ab originali peccato, & immunitate ab omni culpa: nullum ergo est fundamentum ad extendendum ea ad carentiam debiti: imo eo ipso quod dicitur fuisse præseruatam ab originario peccato, significatur Virginem ex se fuisse obnoxiam illi culpæ, quamuis singulari privilegio fuerit ab ea immunis.

SECTIO V.

Quos effectus, vel pœnas contrahamus in hac vita ratione peccati originalis.

Circa hanc quæstionem Luthèrani, & Pelagiani conueniunt in vno principio contra fidem, scilicet perfectum hominem fuisse creatum solum cum perfectionibus humanæ naturæ debitis, ex quo inferunt contrarias conclusiones. Pelagiani quidem nullas pœnas nos contrahere propter peccatum Adæ, illum enim fuisse passibilem & mortalem, habuisseque concupiscentiam sicut nos: ita refert Augustinus epistola 106. Fundamentum est, quod hæc sint naturalia homini. Luthèrani vero colligunt etiam naturam ipsam in naturalibus perfectionibus fuisse corruptam, ideoque amississe arbitrium, & lumen rationis ad bene operandum, ac etiam ad superandam concupiscentiam.

Sed fides supponit contrarium fundamentum, scilicet primum hominem fuisse creatum in quadam naturæ integritate, & rectissima potentiarum constitutione, quæ perfectio naturalis non erat, sed ex singulari Dei dono perfecta, quæ veritas probatur latius in tract. de opere sex dierum lib. 3. nunc supponenda ex illo Ecclesiastes 7. Deus fecit hominem rectum, &c. & Ecclesiastici 17. Secundum se vestiuit illum virtute, &c. cui consonum est illud Psalmi. 8. Gloria, & honore coronasti eum. & 48. Homo cum in honore esset, &c. quæ testimonia in hoc sensu intelliguntur à Patribus citandis infra. Vnde profus est improbilis sententia eorum, qui putant hoc veluti naturæ complementum, quod habuit homo in statu innocentie, ita fuisse naturale, vt esset omnino naturæ debitum, vel ex ipsius naturæ principiis fluere, atque adeo futurum in homine in partibus naturalibus, ex quo inferunt hominem post peccatum mansisse monstruosum contra doctrinam Patrum, Dionysii 4. diuinorum nominum, & Damasci lib. 2. cap. 3. vbi de demonibus loquitur: sed est eadem ratio, ac de hominibus. Cyrilli 1. in Ioan. ca. 9. & 13. libro de adoratione, & spiritu, & Chrystost. homilia 15. in Genes. Cyprian. epistola ad Pomp. & Ambros. libro de Helia, & iucunio, cap. 4. & de Jacob. & vita beata capite 5. Augustin 13. de ciuitate capite 13. & 11. Genesios ad literam cap. 32. & 4. contra Iulianum capite vltimo. Ratio quoque est euidentis, quia naturæ tantum debentur potentie naturales, & concursus ad operandum, quod infra melius patebit. Secundò sumendum est tanquam certum principium hominem totum hoc donum recepisse, non solum vt prodesset propriæ personæ, sed vt communicaretur toti naturæ, si ipse non peccasset, vt ex dictis patet. Ex quibus sequitur tertio per peccatum originale amississe nos originalem iustitiam, atque adeo effectus omnes, qui ab illa oriabatur: quare omnes contrarii effectus veluti priuatiui, sunt originalis peccati effectus, nam ablato principio auferuntur reliqua quæ sequuntur ex illo: & sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis: rectè igitur Augustinus sermone 11. de verbis Apostoli, Creatus est, inquit, homo in natura sine culpa, creatus est rectus, non se ipse fecit rectum, quid autem fecerit notum est, cadens à manu siguli fractus est. Hac ergo veritate supposita sit,

Prima propositio. Effectus primarius originalis peccati est priuatio gratiæ, & omnium virtutum infusarum, eoque modo priuatio talis, non habet

I. Error hereticorum in hac quæst.

II. Vnum principium de peccato sumendum.

Improbabilis quorundam placitum hanc.

Coniunctio rationum. Alteri principium.

Vide prælegom. 4. de gratia cap. 5. num. 41.

III. Propositio.

SVA
12